

sicut inter illa, quæ circumligantur, vincula arctiora, eo quod dolorem commoucant, fluxiones reuellit. A
 His enim præsidijs utimur in cruribus quum fluxiones superiores partes infestât; & in brachijs, quum
 illæ ad crura decumbunt. At inter illa, quæ assumuntur, non deerit quod reuellere possit; hoc. n. modo
 purgantia remedia irruentes fluxiones ad pectus reuellunt, eo quod humorem ad intestina insita sua fa-
 cultate trahant. Dabit & sua auxilia reuellentia fons eorum, quæ geruntur, actiones, inquam, animi, &
 corporis. Quum. n. ad partem, quæ exercetur, confluat calidum innatum, sanguis (inquam) & spiritus;
 fit utiq; ut minus intellentur à fluxionibus affectæ partes, quoniam illis contrariæ sua munera obeunt. Qua
 ratione ambulatio ascendentes humores cohibet; & cogitatio, superiorumque; aliarum partium exercita-
 tio descendentes sistunt. Ea verò, quæ excernuntur, mederi fluxionibus certissimum est, quoniam non aliter
 clisteres aciores, sanguinisque; detractio illis opitulatur. Idem faciunt, quæ humores retinent, quocumque;
 modo retentio fiat. Et si hoc genus auxilij non solum reuellit, fluxionemque; spectat, sed et materiam ip-
 sius. Sic igitur, quum deriuandum erit, ex omni fonte, quærendum erit, quid illud possit facere. Idem B
 quoque; obseruandum in omni alia actione, ne cogamur in singulis omnia excutere longiore quæ in hac
 re expediat, tractatione; Illud tamen obseruandum, ut ex omni genere sumamus, quæ rei propositæ
 sunt accommodata quæque; contraindicantia adhiberi haudquaquam impediunt. Non. n. si ambulatio,
 aut cogitatio reuellendi facultatem habent, propterea illa adhibenda sunt, quum fluxio pleuriticum
 urget, quoniam repugnant vires, corporisque; status, ne illa fiant. Ac quum quædam maiorem vim alijs ha-
 beant, in vnoquoque; quod conuenit, quærendum, ita tamen, ne alia contemnantur, quæ minore vi sunt
 prædita, si priora illa sufficere nequeant. Veluti in præsentis casu quædam sunt, quæ reuellunt dumtaxat,
 ut illa, quæ dolorem excitant; alia verò, quæ simul vacuant, atque; vno negotio & fluxioni ipsi, & cau-
 sæ nempe materiæ succurrunt. Quæ certè præferenda ueniunt ac primum ad opus perducenda, quum
 præceptis sit affectus, qui vehementia, & subita quæque; auxilia postulat. Quamobrem, quum vacuan-
 dum esse dixerimus, ut fluxiones sistantur (ut iam remedia carum attingamus) sint aut inter uacuantia
 quædam, quæ sensibilibus, alia, quæ insensibilibus, alia quæ æqualiter, alia, quæ inæqualiter uacuant, vsus
 singulorum quærendus est, & videndum, quo genere uacuationum hic sit utendum. Doccebit autem C
 id genus affectus. Si enim plurimum urget fluxio, ab eo genere primum, & præcipuum auxilium pe-
 tendum est, quod sensibilibus uacuat; siquidem quæ insensibilibus id faciunt, tardius quam expediat,
 succurrunt. Quod si sola multitudo obest, æqualis, & sensibilis uacuatio præstabit, quod quærimus.
 At si cum multitudine est in humore ex qualitate uitium, purgationem pariter adhibere oportebit. Si
 verò multitudo nulla adest, sed dumtaxat cacochymia, distinctione utendum est. Nam si vehemen-
 tissimè fluxio infestat, nec hic quidem sanguinis detractio prætermittenda oportet, ut quæ sola
 promptissime humorum vitio occurrere sit apta, alioqui sola purgatio sufficere. Si verò nec in copia,
 nec in qualitate euidens aliquod est uitium, leuissimumque est in latere dolor, absque uenæ sectione, &
 purgatione, vsu dumtaxat illorum, quæ insensibilibus corpus exhauriunt, pleuriticorum fluxionibus li-
 cebit mederi, quæ tamen adhibenda quoque sunt cum à vehementia fluxionis urgemur. Sic enim ra-
 tio suadet esse faciendum. Sed demus humores tum copia, tum qualitate obesse, nonne ex hoc indica-
 bitur tum sanguinis detractio, tum purgatio ab initio necessaria? Ac imprimis quidem de sanguinis D
 detractio agamus, expendamusque; quid in ea obseruare oporteat: sanguinem mittunt non omnia re-
 rum genera, sed ea dumtaxat, quæ impulsu agunt; ut vulnerantia, pungentia, & mordentia. Sic sanè no-
 uacula incisa cute, & cultello diuisa uena, uel ad motis hirudinibus uenarum orificijs, aut ipsi etiam
 cuti, sanguinem elicimus. Porro demendus illis sanguis est per uenam, quos uehemens fluxio, uehe-
 mensque; dolor urgent, ualideque interim subsunt vires. Per hirudines verò vasorum orificijs inherentes
 si crassus, melancholicusque; est sanguis, nec admodum vires constant. At vulnerata cute ad motis cu-
 rbitulis, aut et hirudinibus educitur, si sanguis tenuis, leuiorque; est affectus, & corpus profus infir-
 mum. Nec verò aliqua est ætas, uel corporis habitus, aut cruditas, uel aeris ambientis constitutio illa,
 quæ ubi aliqua spes est de salute, sanguinis detractio impedire possint. Nam hæc moderari quæ
 possunt copiam detractio; at oïno prohibere, ne aliquid detrahatur, nequaquam. Si quidem plus po-
 test uehementissimus affectus indicando persuadere, quæ illa contraindicando remedium arcere. Quis
 enim (quæso) puero sanguinem non mittat, quem videat sanguine abundare, & uehementi pleuritide
 teneri? Digeritur (inquies) facile puerorum substantia; quapropter alia euacuatione, quæ sanguinis
 detractio fit, ante decimum quartum annum opus non habet. At quæ digerendo, insensibilibusque;
 uacuant, paulatim id faciunt nec celeritate cum causis huius morbi contendere possunt. Sæpeque; fiet,
 ut interim dum expectamus, ut per cutim expiret corporis moles, fluxionis, dolorisque; impetu
 perimatur. Requirit & ea uacuat, quæ per insensibilem transpirationem perficitur, inedia, quam
 quum puerilis ætas ferre nequeat, præstat statim multitudinem sanguinis illius detractio, inedia, quam
 atque ita sublato, uel mitigato morbo, puerum liberius nutrire, quam longiori inedia emaciare, nihil
 que interim uel minimum certè prodesse. Quod si decimus quartus annus omnibus vna meta esse de-
 bet, planè etiam in hoc aberramus, quum diuersitas corporum ostendat quosdam in decimo ferre posse,
 quod alij fortè decimo quinto nequeunt sustinere. Parcius ergò pueris, grauidis, & alijs omnibus quos
 maiores,